transcendere. Sol quoque radios sue claritatis irreuibatis luminibus inspicere. Et sic Iohannes altitudine
theologice sapientie de fonte dominici pectoris hauste ceteros euangelistas precellit. Ita Ezechiel profunda
subtilitate prophetie alios prophetas transcendit. Ceteri uero prophete ut alii euangeliste a Iohanne minora
de domino sentientes et persequuti que animalia gressibilia cum Christo in terra ambulabant. Ezechiel autem
sublimi uolatu contemplationis et sublimitate sermonis quasi cum domino in celum uolat. Et quia lib
iste inter propheticos libros computatur dicendum est quid sit prophetia deinde temporibus et modis et qualitati
bus et causis prophetie et de origine huius. Quid sit prophetia alibi satis dictum est. Cetera uero omnia primo lec
ta glosa illa difficultate et ab illa incipiens tota prophetia et cetera et cuncta seriatim perlegens usque
ad illam notandum quia ut sunt plene et lucide distincta diligens lector inueniet. Materia huius libri
est ad litteram captiuitas et peccata populi penitentisque ad consilium Ieremie se sponte dedat
cum uidet adhuc Ierusalem stare et se captiuitatis et miserie subiacere. Intentio secundum historiam populum
diffidentem ad penitentiam prouocare et de dei auxilio confidere ut sic mereatur de captiuitate ad patriam
redire. Materia secundum spiritualem intellectum est captiuitas uera spiritualis capt nullorum cap
tiuitate corporali. Intentio secundum spiritualem intellectum est per penitentiam et uiam cordis contritionem ad
amorem et cultum dei reuocare. Modus talis est. Quis propheta cuius filius quid prophetauit et ubi et quando. Deinde hic ostendit
multas uisiones quarum occasione multa ei sunt reuelata. Postea exprobrat peccata et iniquitates populi
pro quibus multa meruerit pati. Tandem uenit ad illam domum inexplicabilem et incogitabilem quam uidit in exequu
tione cuius descriptione satis immoratur et opus suum consummat.

Deus ad beneficiendum promptus est ad puniendum dissimulator. Cum enim possit reos sine contesta
tione uenturi punire numquam hoc facit. Sed et si condempnauit predicit ut libenter per penitentiam qui
dampnati fuerant per delictum. Niniuite condempnati erant peccatores a deo. Adhuc enim tres dies
et Niniue erat subuertenda. Noluit deus cum silentio punire dampnatos. Sed dans eis locum penitentie
misit Hebreum prophetam qui diceret adhuc tres dies et Niniue subuertetur ne perirent. Sed qui condempnati erant
sed agentes penitentiam impetrarent ueniam. Sodomite quoque et Gomorrei dum iam erant exterio destinati
sic sermo dei ad Habraham ostendit. Tamen quod suum erat fecerunt angeli uolentes eos saluare qui se salu
te indignos iudicauerunt. Sunt dicentes ad Loth. Est tibi hic aliquis gener aut filii aut filie et cetera. Neque
ignorabant non esse eos sequuturos Loth. Sed ostenderunt suam partem et ei qui eos misit benignitatem et a
morem. Simile quiddam in Ieremia inuenimus. Notandum est enim tempus prophetie eius quando prophetare cepit ut finierit
dicere quia aliquis quod ad inter tempus historie. Qui cepit prophetare in diebus Iosie filii Amos regis Iuda usque ad an
num tercium decimum in regno eius. Deinde prophetauit in diebus Ioachim filii Iosie regis Iuda usque ad consummationem
undecimi anni Sedechie filii Iosie regis Iuda et per tres reges prophetia eius extensa est usque ad captiui
tatem Ierusalem in quinto mense. Condempnauerat deus Ierusalem propter peccata sua et hec erat extrema sententia ut cap
tiuitati relinquerentur. Sed quia bonum amator sit deus non quasi uellet perire antequam depopulationis tempus insta
ret misit et hic prophetam qui inuitaret ad penitentiam. Misit eundem sub Sedechia rege post primum. Misit quoque sub
tertio iam captiuitas imminebat et adhuc salutem hortabatur deus. Tribuens iam unum diem locum penitentie
uel septimum est usque ad captiuitatem Ierusalem et usque ad quintum mensem prophetasse Ieremiam. Iam hostium uin
cula strinxerat manus et nichilominus dicebat dicebat deus. Ecce captiui facti estis agite licet se
ro penitentiam. Rogate me et parcam uobis. Possum eruere de captiuitate quia teneamini.

Hec in ede nobis possumus intelligere. Si peccauimus captiui futuri sumus. Tradi enim peccatorem sathane
nichil distat ab eo quod uelis tradi Nabuchodonosor. Ut quoque illos deus concessit aduersario propter frequentes
impietates sic nos propter peccata tradimur spirituali Nabuchodonosor. Unde apostolus tradidit sathane ut non discat blas
phemare. Putas quantum malum est peccare ut tradar sathane captiuanti animas eorum qui relinquuntur

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.7, 2r – Petrus Lombardus: Prologus in Isaiam; Prologi varii
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-4if4/5131/49071)